

Q. 245.

15  
DIATRIBA HISTORICO-ECCLESIASTICA

DE

VITA ET MERITIS  
D. GEORGII GROSSHAINII

DIVI PRINCIPIS

VVILHELMI IV.

DVCIS SAXONIAE ETC.

A

CONCIONIBVS AVLICIS

CONSISTORII SVPREMI ADSESSORIS

GRAVISSIMI

AVCTORE

M. CASPARE BINDERO


VINARIENSI

GYMNASII PATRI VVILHELMO-ERNESTINI  
SVBCONRECTORE.

J E N Æ

LITTERIS WERTHERIANIS

1724.



Zb

4385

PLATIBA HISTORICO-KRISTIANICA

DE

VITA ET MELITIS

D. GEORGI GROSSHANI

DIVI PRINCIPIS

VILHELMII IV.

DUCE SATORUM

CONJUGIS AVICAE

CONJUGIS SVETAE H. ADOLFONIS

GR. PALM

A. V. T. O. R. E.

M. CASPARE PINNIGRO

IN

GENNASII TATEM V. V. ADOLFONIS

MDCCCLXXV

F. M. B.

EDITIONIS VERTICILLAE

114



*SERENISSIMI PRINCIPI AC DOMINO*  
**DOMINO**  
**VVILHELMO ERNESTO**  
SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ ET MONTIVM  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ  
DVCI  
LANDGRAVIO THVRINGIÆ  
MARCHIONI MISNIÆ  
PRINCIPI COMITI HENNEBERGENSI  
COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ  
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN

*PATRI PATRIÆ CLEMENTISSIMO!*



SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINO

VILHELMO ERNESTO

SAXONIAE CIVIS ET MONTANI

AVGARIE ET WESTPHALIE

DUCI

LANDGRAVI THURINGIE

MARCHIONI MISNIE

PRINCIPIS COMITI HENNERBERGENSI

COMITI MARCE ET RAVENBERGÆ

DYNASTÆ IN RAVENSTEIN

PATRI PATRIÆ CLEMENTISSIMO

SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE AC PATER PATRIAE  
CLEMENTISSIME.

**Q**uos ex urna in uitam reuocatos, TVO  
in conspectu nunc sistere audeo cineres, ui-  
rum referunt, dum uiueret, de lit-  
teris profanis aequae ac sacris merentissimum. Quan-  
do propensissimam, qua in quosuis litteratos Augu-  
sta TUA mens fertur, uoluntatem respicio, omnino  
sere-

Serenam frontem, ipsis ad futuram, augurari possum,  
quin immo, quando etiam mecum repeto, quanta  
sint, quae ab hoc uiro, sicut in uniuersam ecclesiam, ita  
& praesertim in Vinariensem aulicam profecta sunt,  
merita, tanto sereniorum tantoque benigniorum faciem  
abs TE, SERENISSIME PRINCEPS, expectare  
iubeo eius Manes. Cum enim Diuus Princeps VVIL-  
HELMVS IV. Dux Saxoniae inclutissimus, AVVS  
TVVS piissimus, omni nisu in id incumberet, ut &  
in aula sua pietatis studia promouerentur, nec ar-  
morum strepitus, quibus tunc Germania uniuersa  
personabat, nec reipublica administratio, qua EIVS  
cura destringi uidebantur, EVM prohibere potuerunt  
ab instituto. Qua fini uerbi diuini ministros, quos  
& doctrinae puritate, & uita sanctitate maxime con-  
spicuos indicabat, in aulam uocauit, quo scilicet mo-  
res, qui apud plurimos per bellum exitiale in trans-  
uersum acti uidebantur, integri sibi constarent, erran-  
tesque rectam in semitam ducerentur. Ex his, qui  
uotis piissimi HEROIS satisfacerent, dignus praeter  
ceteris putabatur D. Grosshainius, theologus integer-  
rimus, qui adeo, cum expectationem, quam de se at-  
tulerat, minime falli pateretur, merito a Principe suo  
habebatur in deliciis, tunc saltem adferens dolorem, ex  
quo sapientissimo diuino Numine dirigente, officio  
est inter mortuus. Quum igitur documentis oppido  
praclaris constet inter omnes, quam exacte T V A,  
SE-

SERENISSIME PRINCEPS, AVI piissimi in pro-  
mouenda Tuorum salute referant studia, non possum  
non, quin rem gratam me facturum esse, confidam,  
si tam fidum consiliorum administrum TVAM in  
memoriam reuoco. In aliis autem uiri huius memo-  
riam excitare, eo magis necessarium esse duxi, quo mi-  
nus Grosshainii merita apud plurimos recte consta-  
re mihi uidebantur. Nihil dicam de peregrinis, sua  
saltem patriæ ciues curantibus, sed de ipsa nostra Vi-  
naria fere hoc dicendum, quod Grosshainii memo-  
ria in plurimorum animis tantum non exulet. Quan-  
do uero TVIS, SERENISSIME PRINCEPS, au-  
spiciis prodire uoluerim, ex rationibus probe a me  
subductis factum est. Præter hanc, quam nunc ad-  
duxi, hæc etiam sedet animo ratio, quod eo facilius  
ex SERENISSIMO TVO NOMINE illustrem  
reddi posse eius memoriam, credidi: tum etiam, quod  
me cum tanto uiro comparare, non ausus sum, multo  
minus parem dignumque existimaui, qui uirum præ-  
stantissimum, in publicum prodeuntem, solus comita-  
ri debeam: denique, ut internuncium haberem, qui  
in ipsis natalitiis TIBI, SERENISSIME PRIN-  
CEPS, de die fausto felicique omine redeunte, uerbis  
meis gratuletur, quin, ut sibi ipse gratulari posset, quod  
in TE tanquam in Heroe togato alterum VVIL-  
HELMVM IV. Patrem patriæ amantissimum in-  
ueniat. Et qui queso sibi a gaudiis uotisque tempe-  
rare

rare potest, quo minus effundat, ardentissimisque  
precibus supremum Numen defatiget, ut TE, SERE-  
NISSIME PRINCEPS, diu rebus humanis inesse  
iubeat. Vota, quæ ego præsertim animo concepì, eo  
redeunt, ut memoria TVA, tot tantisque monu-  
mentis conspicua, apud hos, qui nunc uiuunt, pia,  
apud posteros autem nunquam inter moritura eua-  
dat. Vale etiam atque etiam.

SERENISSIME PRINCEPS,  
SERENISSIMI TVI NOMINIS

Vinariae  
Pridie Calend. Nouembr.  
CLO CC XXIII.

aliens subieclissimus  
AVCTOR.





Summa.

- |   |  |
|---|--|
| <p>§. 1. D. <i>Grosshainius</i> plus doctrina, quam celebritate pollet.</p> <p>§. 2. Causa huius ignobilitatis,</p> <p>§. 3. Eius patria &amp; natiuitas.</p> <p>§. 4. Nomen quomodo scribendum,</p> <p>§. 5. Educatio et studia.</p> <p>§. 6. Rector fit scholæ Arnstariensis: Est Præceptor D. <i>Jo. Musæi</i>.</p> <p>§. 7. Professor theologiæ fit in Academia Erfurtina, auspice <i>Gustauo Adolpho</i>, rege Suecorum, repurgata.</p> <p>§. 8. Oratione inaugurali munus subit: num scripserit Dissertat. de Academia in Abel ad II. Sam. XX. 18.</p> <p>§. 9. Libri &amp; dissertationes recensentur.</p> <p>§. 10. Primus in Academia Erfurtina Theologiæ Doctor</p> | <p>Euangelicus creatur: de huius dignitatis ualore.</p> <p>§. 11. Disputationes apologeticas pro uersione b. Lutheri contra Jesuitam Holzajum parat.</p> <p>§. 12. Peculiaris professor Aug. Confess. uocatur, in locum Hagelii.</p> <p>§. 13. In bibliis Vinariensibus prophetiam Jeremiæ eiusque threnos paraphrasi instruit: opera hæc M. <i>Kromayero</i> ab aliis uel inuito obruditur.</p> <p>§. 14. Vinariam concionator aulicus &amp; Confistorii Adsefor uocatur.</p> <p>§. 15. Mors præmatura: annos 37. natus, deçedit.</p> <p>§. 16. ingenium doctum &amp; pium,</p> <p>§. 17. Scripta posthuma.</p> |
|---|--|

A

§. I.

## §. I.

**R**Ecte sibi adnotasse uidetur *Plinius, facta dictaque uirorum illustrium alia esse clariora, alia maiora.* a) Si enim omnes, quotquot unquam præclara atque illustria uirtutis doctrinæque specimina de se ediderunt, penitusset, ut aiunt, de facie nosse, nobis integrum foret, multorum dicta factaque, dignis quidem nominis laudibus ad posteros translata inueniremus: longe uero plurimum, eorumque sæpe præstantiorum, sensim obscuratam atque obliuione sic obrutam deprehenderemus memoriam, ut, qui extiterint, uix nobis constaret. Quæ facta non tantum multis uiris insignibus, quorum ætas in tempora Pliniana cecidit, sic iniqua obtigerunt, sed etiam quam plurimi ex sequiori æuo habent, quod de simili fortuna conquerantur. Tot argumenta rem confirmant, quot exempla prostant eorum, qui post longam annorum seriem orbi demum innotuerunt. Quamdiu præstantissimorum uirorum, quibus nunc inuenta arte typographica, factaque felici litterarum *παλιγγενεσία*, utimur, opera & scripta tenebris plusquam Cimmeriis inuoluta latuerunt, & postquam in lucem protracti, quam impari quæso gaudent fama? Nullum

Nullum enim dubium, quin sæpe in celebratissimis eorum, minus uirtutis fuerit, quam in multis aliis, qui obliuione sempiterna obteruntur. Hos tamen, quorum opera iam ante inuentam artem typographycam perdita uel obliuioni tradita sunt, non adeo miremur, quod ipsa oblcurationis causa in promptu est, quam eos præsertim, qui, licet opera sua iam pridem luci publicæ exposuerint, memoria tamen pene omni exciderunt apud posteros. Per duo fere sæcula exulasse uidetur in orbe litterato litterarum politissimus atque nobilissimus, *Hassensteinus*, haud ita pridem opera *Heumanni* & *Coleri*, clarissimorum uirorum, memoriæ postliminio restitutus. Non opus est, multa exempla alia e longinquo repetere, cum nouum rei argumentum præbeat auctor, in quo describendo nostra nunc uersatur opera. Scilicet uir, dum uiueret, maxime reuerendus atque doctissimus, *D. Georgius Grosshainius*, nobis nominandus uenit, quem ingenio & doctrina theologis inclutissimis parem, fama autem & gloria longe imparem dicere iubemur. Licet enim scripta eius nihil non eruditionis & doctrinæ solidissimæ loquantur, merita in ecclesiam extiterint quam amplissima, nec minorem existimationem promereatur, quo ille functus est, muneris ratio, nihilo tamen secius

incelebratum famæque adeo expertem inuenimus, ut eius saltem nomen frustra quæramus apud eos, qui data opera eruditorum nomina collegerunt, lexicisque suis, ut uulgo audiunt, litterariis, quotquot copia fieri potuit, sæpe etiam eorum, qui infra muneris doctrinæque laudem fuerunt, inferenda curarunt anxie, tantum abest, ut biographiam eius ex instituto aliquando paratam esse, cognoscamus.

a) Lib. III. epist. 16.

§. II.

Variæ autem, quæ præstantium uirorum memoriam subinde supprimunt & obliuioni inuoluunt, subesse possunt causæ, quas perscrutandi uaria quoque pro uarietate exemplorum ineundam esse rationem, putamus. In his tamen, quæ de *Haffensteinio* & *Grosbainio* nostro memorauimus, operum suorum raritati causam eiusmodi ignobilitatis imputare, nulli dubitamus, quando, quæ sæpe obscuritas ex raritate librorum auctoris suis contrahatur, rite ponderamus. Vnde autem hæc oriatur, diserte docuit clar. *VVendlerus* in dissertatione, *de uariis raritatis librorum impressorum causis*. Quod præsertim ad scripta *Grosbainii* attinet, eorum raritatem uel inde colligere licet,

licet, quod etiam alii auctores, qui ea in subsidium uocare student, nomen auctoris recte scribere ignorant, tantum abest, ut oculis ab iis usurpata esse, praesumamus. Quam difficilis eorum copia et mihi facta sit, ipse optime noui, dum saepe in bibliopoliis refertissimis, inque bibliothecis, omni librorum genere instructissimis, nec uolam nec uestigium Grosshainiorum scriptorum deprehendi: nec mihi dissimulandum est, alia atque alia, omnem uel diligentissimam inquisitionem, a me susceptam, fugisse: quae quidem causa animum ab ceptis non reuocauit, sed eo magis ad eruendam recolendamque doctissimi auctoris memoriam incitauit atque instigauit. Vtrum uero felices uotis responderint successus, aequissimi lectoris erit diiudicare. saltem institutum minus improbatum iri, confido, ab iis, qui pietati in beatos uirorum, de ecclesia benemerentium. Manes, studere, negotium ingenuo homine haud indignum iudicant.

§. III.

Ab ouo, ut aiunt, rem ordiri, ordo postulare uiderur. Patria nostro contigit *Duderstadium*, a) Eichsfeldiae oppidum primum, in quo lucis usuram cepit saeculi superioris anno primo:

A 3

mo:

mo: b) quo die, quibusque parentibus, tace-  
 mus, non quod moremur *Maresium*, c) satis  
 illusorie scribentem: *quidam Germanorum*, de  
 quibus scribunt, parentes referunt, diem, & ali-  
 quando horam, qua nati sunt, & talia, quae in  
 regibus solum & in uiris maxime illustribus requi-  
 runtur; sed potius, quod nesciamus. Quantum  
 ex studiis conicere possumus, parentibus natus  
 est atque educatus, puriori doctrinae addictis,  
 quemadmodum & hodie Duderstadium permul-  
 tos ciues, Lutheranae religionis confessores alit.

- a) Joh. Hundorphius in encomio Erfurtino contin.  
 num. VI.  
 b) quod, ut infra docebimus, A. 1638. annos triginta  
 septem natus decessit, facile inde annus natiuitatis  
 erui potuit.  
 c) lib. II. Epist. 25. p. 366.

#### §. IV.

Nomen, quod a patre ipsi hereditarium fuit,  
 quomodo sit scribendum, paucis declarare, e re  
 fore arbitror, siquidem a plerisque perperam scri-  
 bi, animaduerti. Ante me quidem rectam eius  
 nominis scribendi rationem docuit clariss. Jo.  
*Melch. Kraftius*, a) quando contra D. Jo. Frid.  
*Mayerum* disputat. Hic nempe sibi imponi pas-  
 sus

sus erat a *Lipenio*, qui *Grosbainii* aliquot disputationes in bibliotheca sua reali Theologica, forte non uisas, pro more suo allegauerat, sub nomine *Grosbunii*. Plures alii uocant adhuc corruptius *Grosbeimium*: unde corrigendi ueniunt *Micralius*, b) iterum *Mayerus*, c) &, qui eum in his sequitur, *Placcius*, d) ut & *anonymus* apud *Heumannum*, e) *Eyringius*, f) alii. Auctor ipse se modo *Grossebain*, modo *Grosbain* scripsit? quare recte agimus, si eam, quam ipse manu sua probauit, scriptionem sequamur.

a) in emendand. & corrigend. in historia uersion.

Germ. bibl. Lutheri a Mayo adornata, p. 39.

b) in histor. Eccles. p. 755. notante Kraftio.

c) in disput. de pseudon. & anonym. in fascic. XIII. p.

429. ubi praeterea Joannes male cognominatur.

d) de anon. & pseudon. addit. p. 415.

e) de libr. anon. & pseudon. p. 186.

f) in uita *Ernesti* pii p. 81. & 82.

## §. V.

Transimus ad studia auctoris nostri explicanda. Quod ad puerilia attinet, etsi nihil certi de iis adfirmare possumus, nullum tamen est dubium, quin parentes filium omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, erudiendum curauerint. De Academicis hoc saltem comper-

tum

tum habemus, quod studiorum cursu in Academia rite emenso, dignitatem magisterii reportaverit.

### §. VI.

Nec minorem de studiis suis existimationem sibi conciliavit extra Academiam, dum paulo post Iuveni Numinis nutu scholæ, quæ *Arnstati*, præesse iussus est. Quo munere scholastico aliquot annos cum laude perfunctus est, confluyente haud exiguo discipulorum, doctrinæ eius cupidorum, cœtu. Hos inter, qui ex eius schola exierunt famamque postea consecuti sunt, a) non ultimum locum occupat celeberrimi nominis theologus, *Joannes Musæus*, qui doctrina eius, tanquam *uiri rerum humanarum diuinarumque peritissimi*, usus esse dicitur. b) Quo autem anno dictum munus subierit, non æque constat.

a) in dedicat. tractatus hermeneutici, infra citandi, discipulorum clarissimorum mentio fit.

b) in progr. Acad. Jenensi funerali concioni *Musæi* adnexo.

### §. VII.

Anno 1633 cxxxiii. ad theologiam in Academia Erfurtina, tum temporis, auspice augusto  
Gusta-



*Gustavo Adolpho*, Rege Suecorum, emendata, euocatur docendam. Hactenus enim professores in facultate Theologica omnes Pontificii fuerant, præter unicum professorem Euangelicum, qui illis ex legatis ciuium quorundam Euangelicorum ab anno 1616. ad explicandos Augustanæ confessionis ab senatu adsociatus fuerat. Sed postquam Sueci ex proelio Lipsiensi sub exitu anni 1631. superiores discesserant, Erfurtini non solum a partibus uictorum steterunt, præsidio Suecico libertati suæ consulentes, sed etiam, cum, præsentem Rege, de repurganda restaurandaque Academia consilia inirentur, non destiterunt, quæ suggesta erant, sedulo exsequi. Inter armorum quidem strepitus res non ex uoto accelerari poterat, sed usque in annum ducebatur, interueniente Regis morte inopinata. Nunc autem sub auspiciis anni ex hoc seculo trigésimi tertii abire iubebantur professores Pontificii, surrogatis solis Euangelicis, iisque præstantissimis, qui tanto muneri pares iudicabantur, euocatis. Veterano professori *A. C. M. Zach. Hogelio* noui tres adiungebantur, *D. Joan. Mayfartus*, Gymnasii Coburg. professor, *M. Georg. Grofsbainius*, scholæ Arnstatiensis rector, & *M. Nicol. Zappius*, uiri tanto munere dignissimi. Et sic consiliis beatissimi Regis

B

post

post fata demum satisfiebat. De his etſi *Pufen-*  
*dorſius & Loccenius*, in hiftoriis ſuis Suecicis nihil  
 habeant, tamen, qui ingenium Regis nouit, quan-  
 ta ſemper EIVS cura in condendis repurgandis-  
 que ſcholis, etiam intra fines Germaniæ, excu-  
 buerit, hanc reſtaurationem Academicam aucto-  
 ritati Regiæ non derogabit. *Sagittarius*, ut ex  
 profeſſo de his egit, *a)* ſic etiam Regem; auſpi-  
 cem & ducem factæ repurgationis in Academia  
 agnoſcit. Fidem præterea facere uidetur *M. Ni-*  
*col. Specht*, Reuala Liuonus, qui in panegyri Re-  
 gis Manibus dicta, *b)* inter alia hæc perorat:  
 „His accedit ſumma illa cura in ædificandis tem-  
 „plis fundandisque Academiis & ſcholis. Cuius  
 „rei teſtis eſt ipſa Suecia, in qua præter alias Ec-  
 „cleſias & ſcholas Archiepiſcopatum Vpfalienſem  
 „eiusque Academiam celebrem nouis priuilegiis  
 „reditibusque magnifice donauit, auxit. Teſtis  
 „eſt Liuonia, in qua Academiam Dorpatenſem  
 „& duo gymnafia, Rigene ſcilicet & Reualienſe  
 „fundauit. Teſtis eſt Boruſſia, in qua gymnafii  
 „Elbingenſis priuilegia confirmauit, Braunsber-  
 „genſis uero reſtaurauit, et eiectis Jeſuitis ei no-  
 „uos Profeſſores, uiros in omni litterarum gene-  
 „re præſtantiffimos præfecit. Teſtis eſt Germa-  
 „nia, in qua undique Eccleſias a fermento papi-  
 ſtico

„stico repurgauit, scholas partim fundauit, partim restaurauit. Tantum ille. Quæ sic fusius recitare, eo magis consultum esse duxi, quo minus & de his in tot panegyricis reliquis, beato Regi a præstantissimis auctoribus, *Heinsio, Buchnero, Virdungo, Gebbardo, VVinsbemio, Skyttio*, habitis, c) oratum intellexi. *Bœclerus* quidem in notitia S. R. imperii, de facto quodam Regis Academico, ut paucis, ita & subobscuris mentionem facit, *Berneggerum* in laudatione funebri testem allegans, quod uero huius copia mihi non fieri potuit, indeque *Bœclerus* mihi permansit obscurus, calamum omnino reprimo.

- a) in tract. Historischer Bericht, vvas es mit der professione theologiæ Aug. Conf. auf der Vniuersität zu Erfurt für eine Bevvandniß hat. Jena. 1680. 8.  
 b) sub tit. memoria *Gustau Adolphi*, Regis Suecorum, A. 1632. VVittebergæ edita.  
 c) Lugdun. Bat. 1637. 12. coniunctim editis.

### §. VIII.

Ad *Groszbainium* nostrum reuertimur. Qui ubi Erfurtum salutauerat, recitata inaugurali oratione munus suum obire cœpit, typisque exscribi curauit sub titulo: *Paradisus Geranus Academicus seu oratio, in qua Academia Erfurtensis cum primo, qui in Eden fuit, paradiso comparatur.* a)

Bz

Si

Si quid coniecturis dandum est, dissertationem *de Academia in Abel* ad locum II. Samuel. XX. 18. quæ uulgo auctori nostro tribuitur & nouissimis in controuersis *Mayerum* inter & *Spenerum*, theologos celeberrimos, in scenam reuocata est, nullatenus ab hac oratione differre, pronunciauerim, propterea quod non opportuniorem de his dicendi locum auctor habuisse, uideatur. Certi tamen quid definire, non audeo, cum neque *Grosbainii*, neque *Mayeri*, neque *Speneri* libros, huc pertinentes, perlustrare fuit liberum. Horum saltem mihi auctor fuit excellentissimus *Thomasius*, qui in præfatione ulterioris declarationis (der vveitern Ausführung) contra *Mayerum* disputans, hæc eius uerba *Spenero* opposita, inserit: Solcher Spott trifft mich nicht allein, der ich meiner Meinung Grund anderswo aus den Worten des Texts gegeben habe, sondern den theuren frommen Theologum und seligen Professore[m] zu Erfurt, den Herrn D. Grosbain, so in einer besondern Schrift solches behauptet. Ob quæ quidem *Thomasius* *Mayerum* false illudit, uehementerque irridet omnes, qui in urbe Abel Academiam quarant, & de politia ueterum Israelitarum ex conditione sui temporis falsam animo induant persuasionem. Hoc certum habeo,  
 May-

*Mayerum* in bibliotheca, ceteroquin numerosissima, ne ullum quidem libellum auctoris nostri, multominus dissertationem eius tituli habuisse, ut ex catalogo impresso constat. Vnde uero hanc *Grosshainii* sententiam haulerit, non ulla coniectura possum assequi, quemadmodum & hoc me later, qua fide *Io. Leonb. Heubnerus* in disputatione de Academiis Hebræorum, *b)* hanc dissertationem auctoris de Academia in Abel alleget, titulo quidem satis dubio. Quod ad rem attinet, si uerum est, quod auctor noster sententiam de Academia in Abel cum Mayero communem habuerit, mihi non excusandus uenit, neque uel exinde, ipsum munus oratoris egisse: neque enim ab hoc ueritas abesse potest. Nam si uerum fateamur, & rei & textus ratio ignorat eiusmodi Academiam in Abel. Adsunt alia V. T. loca, quæ maiorem huius rei speciem præbere possunt, e. g. *Josue* XV. 15. ubi *Debir* nominatur in textu *Kiriath-Sepher*, urbs litterarum, & a LXX. interpretibus *πόλις γραμμάτων*. Nunquam tamen firmo argumento Academiam Israelitarum inde elici posse, commentatores sibi persuaserunt. Doctissimus & harum rerum callentissimus, *Joan. Clericus*, in commentario suo ad loca, iam citata, nullibi Academiam sibi inuenisse, putat, quin potius in al-

tero loco addit: *cur impositum sit hoc nomen, ignotum est*, scilicet apprime gnarus, quam infirma sint, quæ ex sola denominatione petuntur, argumenta. Singulari disquisitione locum Jolux excussit doctissimus *Ritmeierus*, c) neutiquam uero tantum a se impetrare potuit, ut Academiam Debiro adstrueret.

- (a) Erfurt. 1633. *Lipenius* in biblioth. reali theolog. t. I. p. 621, b. Idem allegat orationem auctoris nostri, sub titulo: *renouata Gerana*, ibid. a. eod. prodeuntem. Neutram ego uidi, istam tamen cum hac conuenire, fere crediderim.
- b) VVitteberg. 1703. habita.
- c) Helmstad. 1711.

### §. IX.

Titubante hactenus usi sumus calamo, sed nunc nullum porro, quò minus certiora tradamus, impedimentum obest. *Grosbainius* noster muneris, quo se ornatum uidebat, rationem serio meditans, uarios edit libros, auditorum confluentium desideriis satisfacturus. Ex primo muneris sui anno, scilicet trigesimo tertio, sequentes, præter orationem memoratam, ingenio eius debemus. I. *Janitor theologie, hoc est, tractatus de principio fidei Christiana complexo primo & ultimo:*

timo: dicatus *Alexio Ochsenstiernio*, Suecorum per Germaniam legato principi. a) 2. *Præcurſus orthodoxi* homologetici, quo præcognita in Aug. Conf. breuiter traduntur. b) 3. *Disputatio theolog. qua demonstratur, quod Pontificii, sicut de religiosa inuocatione errant, ita quoque idololatriam suam necessario deserere, & nobiscum rectius credere, ueriusque orare debeant.* c) 4. *Commentatiuncula, cur Apostolus Iacobus dicatur scriptor?* d) His addenda est. 5. *Concio funebris, Regi Suecorum, Gustauo Adolpho d. 16. Jun. dicta, e)*

a) Erfurt. 4. vid. Lipenius l. c. II. p. 555. a. & p. 842. b.

b) Erfurt. 8. Lipenius l. c. p. 112. b.

c) d. 1. Nouembr. proposita.

d) Erf. 12. Lipenius t. II. p. 54.

e) Lipen. t. I. p. 713. a.

### §. X.

Facultas Theologica Academiæ Erfurtinæ nunc priuilegiis suis uti & candidatos aliquot digniores in gradum doctorum promouere, constituerat. Quare eiusdem anni, trigesimali tertii, mense Decembri examen candidatorum instituebatur, a) ipsa uero promotio in alterius anni mensem Martium differebatur. b) In candidatis hisce eminebat *Grosbainius*, quippe qui una cum eiusdem

dem dignitatis sociis, M. *Samuele Zebnero*, Schleu-  
 sing. Ecclesiæ Superintend. M. *Nicolao Zappio*,  
 eiusd. facult. professore, & *Barthol. Elsnero*, lin-  
 guarum oriental. in eadem Academia Professore  
 & Diacono ad ædem Franciscanorum, uulgo zum  
 Barfüßern, solenni ueterum ritu, die II. Martii  
 creatur *primus theologiae Euangelicus Doctor in A-*  
*cademia Erfurtina*, promouente eius facultatis De-  
 cano, Doctore *Jo. Mayfarto*. Postea quidem,  
 cum in pace VWestphalica res Euangelicorum ad  
 annum 1624. ceu decretorium, uel ut uulgo aiunt,  
 regulatiuum, exigere deberent, nec singulari qua-  
 dam lege Erfurtinæ Academiæ de facultate Theo-  
 logica, Euangelicis doctoribus in posterum or-  
 nanda, caueretur, c) Euangelici professores ex hac  
 facultate cedere coacti & a promotionibus Euan-  
 gelicorum theologorum prohibiti sunt, remanente  
 quidem A. C. professore particulari. Qua de  
 caula si quis forte ualorem & dignitatem Docto-  
 ratus theologi nostri auctori & reliquis exinde  
 in controuerſiam rapere, eoque labefactare con-  
 tenderet, quod ausu temerario factoque irritato sus-  
 cepta sit talis promotio, quæ ad solos Catho-  
 licos pertineret, respondemus, priuilegia a Casare  
 semel concessa semper permanere integra, quibus-  
 cunque etiam personis ex Christiano orbe imperian-  
 tian-



tiantur: præterea etiam omnia, quæ inter arma ab utriusque partibus facta, in solenni pacificatione & transactione rata ac composita, merito putantur.

- a) *Sagittarius* l. c. ipsum actum promotionis ad hunc annum refert, cum hoc uero actum examinis confudisse uidetur. Nam in dissert. theologica, infra recensenda, qua de Pontificiorum erroribus circa religiosam inuocationem agit, & quæ d. 28. Febr. A. 1634. habita est, auctor se licentiatum theologiæ adhuc uocat.
- b) *Hundorpius* l. c. disertis verbis.
- c) forte eapropter, quod Erfurtum tunc non iuris Moguntini habebatur.

### §. XI.

Supereft adhuc in auctore nostro inprimis commemoranda singularis & præclara illa opera, quam in uersione Lutheri Germanica ab iniquis detorsionibus pontificiorum uindicanda posuit, & qua uel sola se immortalitate dignum reddidit. Quam strenuum enim se illius adfertorem atque uindicem præstiterit, expertus præsertim *Georgius Holzaius*, Jesuita Ingolstadiensis, uersionis Germanicæ Lutheri adgressor atque impugnator infensissimus. Hic aliquot ante annos publicæ lucis fecerat tractatum, sub rubro: *Obs vvahr, das*  
C
in

in der Neuv-Evangelisch Teutschen Bibel das  
 VVort GOTTes rein und lauter begriffen sey? a)  
 in quo multis iniuriis arque falsiloquiis laceſſebat  
 B. Lutheri uersionem Germanicam, quibus ut ob-  
 uiam ireret, uarias noster parabat disputationes, ſa-  
 ne non leui & tumultuaria opera conſcriptas. Do-  
 leo profecto, quod non omnium ac ſingularum  
 notitiam comparare potui; quæ tamen ad noſtram  
 notitiam peruenerunt, ordine, quo licet, enarrabo.  
 Prima eſt, *apologetica diſputatio, in qua Germanica*  
*B. Lutheri uerſio Rom. III. 27. de fide coram DEO*  
*SOLVM iuſtificante, aduerſus ratiunculas Georg.*  
*Holzaii defenditur, m. Martio A. 1634. Menſe*  
*Maio eiudem anni iam ſecuta eſt quarta (duas an-*  
*tecedentes ignoramus) qua locum de fide iuſtifican-*  
*te Hebr. XI. 1. uindicat. Hanc exceperit mox alia.*  
 Quemadmodum enim in ſchola, ita & in Acade-  
 mia Muſæum ſuum, tum iuuenem doctrinæ cupi-  
 diſſimum, ſibi noster iunctum habet, eique menſe  
 Septembri eiudem anni diſputationem apologe-  
 ticam in cauſa *de cultu diuino Enoſchi ex Geneſ. IV.*  
*v. ult. tuendam committit præſes. b)* Anni ſe-  
 quentis 1635. menſe Januario hiſ nouam comi-  
 tem adiungit, in qua Germanica *B. Lutheri uerſio*  
*defenditur, in πρωτευαγγελίω de benedicto mulie-*  
*ris ſemine Chriſto, ex Geneſ. III. 15. c)* Hiſ adnu-  
 mera-

meramus illam, quæ agit *de gratia iustificante* ex Rom. III. 23-30. *d)* Nec prætermittendæ sunt hæ, ab eodem scopo haud longe abeuntes: *Disputatio theologica, qua ως εν τύπῳ demonstratur, quod Pontificii, sicut circa religiosam inuocationem errant, ita errorem suum distinctione inter λατρείαν, δολείαν & ὑπερδολείαν in crustare minime possint, ac propterea suam idololatriam deserere debeant.* *e)* Porro, ἀποδείξις theologica, qua demonstratur, neminem secundum pontificiam religionem posse saluari, *pars prior.* *f)* Ex his uidemus, quod iure merito auctor noster inter apologetas præcipuos uersionis B. Lutheri sit referendus, sicut & Doctiss. Zeltnerus, apologetis in his primariis, Raithio & Beringero nostrum ad sociat. *g)* Balth. Raithius quidem, Superint. Tubingenf. uindictis suis *pro uersione Lutheri*, tantum sibi nomen conciliauit, ut *Richardo Simone* iudice *h)* criticorum ex nostratibus theologis princeps putandus sit. Nostrum tamen si cum illo conferamus, nulli dubitamus adstruere, quod, si Raithio palmam non præripit, dubiam tamen faciat. *Grosbhainii* enim operas uindices neque a Raithio, neque a Simone uisas esse, certum est. Ille ipse in præfatione uindictiarum ingenue fatetur: *perpoliri, inquit, & augeri uostrâ posse, nullatenus inficio, si qua Holzay Jesuita,*

Et contra eum in hoc genere D. Groshain scripsisse fertur, nec non contra Job. Piscatorem Herborn. bb. DD. Job. Himmelius et Paulus Roebertus, quos nancisci haecenus non contigit. Quanti Groshainias uindicias aestimet Kraftius, insignis ille historiae uersionis bibliorum hodegus, his uerbis testatum facit: Georgius Groshainius ex ianitore theologiae, et speciatim clarus ex disputationibus apologeticis pro uersione Lutheri, contra Jesuitam Holzaium, omnium fortasse doctissime scriptis. i)

- a) Ingolstadt 1627. 8.
- b) Kraftius in tract. von Lutheri Psalter Dolmetschung cap. III. contra Roestium, Jesuitam agens, in medium hanc uocat.
- c) 14. plag. constat. allegat. Lipenius t. II. p. 897. b. & Wildeshausen in bibliotheca disputation. biblic. p. 16.
- d) vid. Wildeshausen l. c. p. 244.
- e) d. 28. febr. 1634. respondente M. Steph. Ortelio, gymn. August. Erfurt. Professore.
- f) d. 10. Octobr. 1634. respond. Jo. Lauterbrunnio, Erfurt. scholae Minor. collega.
- g) in dissert. nunquam satis laudanda, de nouis bibliorum uersionibus Germanicis non temere uulgandis p. 3.
- b) Lib. II. Histor. Crit. N. T. p. 521.
- i) in emendand. & corrig. histor. uers. Mayer. p. 39.

## §. XII.

Cum A. 1635. M. Hogelius, qui haecenus peculiaris Aug. Conf. professor ex antiquo legato fuerat,

fuerat, e uiuis excederet, omnium consensu noster, qui in hac speciali professione succedat, dignus præ cæteris habetur, abeunti autem Groshainio in hac prouincia postea successit. *Mayfartus.* a) Quam ob rem omne studium ac operam ad explicandos uindicandosque A. C. articulos conuertit. Huc scilicet pertinent sequentia. 1. *Apologia ex XX. articulo A. C. repetita, & novæ quorundam aduersariorum accusationi, qua Euangelicas Ecclesias, ac si bona opera prohibeant, accusant, nonnisi ueritatis amore opposita.* b) 2. *Disputatio theolog. σκιαγραφήν de Christianismo.* c) 3. *Apologia artic. XXI. A. C. super dicto Jobi V. I. in qua cum ueritas coelestis de non religiose innocandis uel Angelis, uel sanctis demortuis, tum quoque σωφροσύνη hermeneutica B. Chemnitii modeste a Bellarmini accusatione uindictatur.* d) 4. *Apologia artic. II. A. C. super c. V. & sqq. Matthæi de peccato sua natura mortali, ubi fere simul totus Christianismus depingitur, & peccati natura a Bellarmini ἐπεσόδοξία defenditur.* e) 5. *Disputatio super Daniel XII. 2.* f) 6. *Sanctificatio ieiunii ex Joel. II. 12.* g) 7. *Disputatio de catholica Judæorum conuersione ex Roman. XI. 25, 26. quam quidem Erfurti non uentitauit, sed ex quo Vinariam accessit, Jenæ typis excrubi curauit.* b)

- a) Sagittarius l. c. p. 15.  
 b) m. Januar, 1636.  
 c) m. Febr. 1636.  
 d) m. Majo 1636.  
 e) m. Septemb. 1636. respond. M. Jo. Henr. Brommero,  
 Erf. Colleg. maior. collega. vid. Lipenius t. II, p. 456. a.  
 f) Vid. *VVildeshausen* l. c. p. 134.  
 g) 1634. Erfurt. *VVildesb.* p. 138.  
 b) 1637. 4. Vid. *Lipenius* t. I. p. 467. a. II. p. 144. a. *VVil-*  
*deshausen* l. c. p. 251. *Koenigijs* in biblioth. uet. & nou.  
 pag. 365.

## §. XIII.

Inter hæc tamen etsi singulis fere mensibus disputationem publicauerat, diligentia & studium præstantissimi uiri non deferbuit. Nam cum eodem tempore, anno nimirum ineunte 1636. diuus princeps, *Ernestus*, Dux Saxoniae, Vinariae tum degens, biblia germanica in usum rudiorum solida & simul perspicua paraphrasi adornare, meditaretur, doctissimosque uiros ad eius rei elaborationem adhiberi ueller, *Grosbhainius* quoque, qui socias tanto operi admoueret manus, dignus commendabatur, locoque pensi *prophetiam Jeremiae eiusque threnos* glossis suis iuebatur instruere: nec spem de se conceptam illulisse, arbitramur, quando doctam huius libri paraphrasin, hodie in opere illo biblico extantem, penitus ex-

pendimus. Hæc adlerimus, auctoritate nitentes *Tenzelii*, a) locupletis hac in re testis, quia ex confistori actis & fontibus sua habet. Cum quo etiam catalogus *Jo. Ern. Gerhardi*, sen. quem ex eius bibliis Vinariensibus b. *Layrizius*, Vinar. Superintend. General. *Relationibus innocis* A. 1708. p. 105. inseri curavit: ut & *Rudolphi* in *Gotha diplomatica* Part. III. p. 350. Hos enim solos hac in re agnosco testes idoneos. Quapropter emendandi sunt, qui auctori nostro glossas in Matthæum tribuunt, ut *B. Calovius* in præfatione Tomi I. biblior. illustrator. *D. Olearius* in append. annotat. biblic. *Carpzovius* in introductione ad libros histor. V. T. *Relation. innoc.* A. 1714. p. 553. Alii ad nostrum auctorem referunt glossas in Deuteronomium, ut *Mayerus* & *Placcius* II. cc. *Bergerus* in instructorio biblico p. 30. Reuerend. *Fabricius* in historia bibliothecæ suæ. b) Adhuc alii nostro auctori in paraphrasi illa conficienda in Jeremiam socium adiungunt *M. Joan. Kromayerum*, Vinar. Superint. General. ut *Eyringius* in uita *Ernesti* pii p. 81. &, qui hunc sequitur κατὰ πῆδα *Clar. Vockerodtius* in exercitationibus Academicis p. 80. locum simul errandi faciens *Reinh. Henr. Rollio* in bibliotheca nobilium theologorum c) qui ait: *Kromayerus confecit,*

fecit, quod paucis compertum est, paraphrasin in  
 Jeremiam & eius threnos doctissimam, quæ hodie  
 in bibliis Vinariensibus comparet, licet parastatam  
 habuerit in perficiendo hoc labore longe utilissimo D.  
 Grosbainium, ceu ostendit clariss. uir Godofr. Voc-  
 kerod. Kromayerum autem ut glossarum qualium-  
 cunque operi biblico, sic & huic præsertim libro,  
 insertarum, haud participem esse, duobus argu-  
 mentis euincere possumus. Primum neque Ten-  
 zelius, neque Gerbardus, neque Rudolphi II. cc.  
 Kromayerum inter paraphrastas istos referunt, sed  
 unanimi consensu Jeremiæ paraphrasin Grosbain-  
 nio uindicant. Tum uero maxime Kromayerum,  
 uel inde ἀσύμβολον credimus, quia ex certis do-  
 cumentis nobis compertum est, quanto nisu se  
 operi isti biblico opposuerit. Quum enim pri-  
 marius ἐγγυδιώκτης, M. Sigismundus Euenius, li-  
 bello suo iam A. 1634. edito, vvic der Kirchen  
 Gottes gründlich zuhelffen, Kromayero haud le-  
 uem de sua doctrina suspicionem attulisset, post-  
 eaque partibus Brunchorstii, pastoris tum Franc-  
 kendorfensis, Schvvenkfeldianismi a Kromayero  
 inculati, accessisset, non solum grauissimæ tubor-  
 tæ controuersiæ, sed etiam ipsæ glossæ biblicæ in  
 suspicionem adductæ sunt. Christ. Gueinzius, Re-  
 ctor Cymnae Halens. integrum catalogum suspecta-  
 rum



rum in opere biblico phrasium a se confectum esse, scribit in litteris, quarum *αὐτόγραφοι* possideo, ad Kromayerum datis. Pauca de his habet *Tenzelius*. d) *Vtrique*, inquit, *Brunchorstio* & *Eucnio*, *enthusiasmi* & *Schwengfeldianismi* nomine multum negotii facescit *M. Kromayerus*, *Superint. Vinar. general.* Vberiora de his nobis sunt in promptu, sed mitto nunc & in uita *Euenii* aliquando inferenda, tanquam propiore loco, referio. Nobis inpraesenti sufficiat, certum *Jeremiae* paraphrasten in bibliis *Vinariensibus* demonstrasse.

a) in histor. Gothan. supplement. II. p. 897. seq. ubi pulcre emendat, quæ antea in Colloqu. mensuris de A. 1693. & in bibliotheca curiosa A. 1704. certiora tunc non edoctus, protulerat.

b) Parte I. p. 31. ibidem auctor, alias accuratissimus, seduci se, passus est ab auctore diarii, cui nomen *bibliothecarii neutrius partis* fecit, *Jo. Franc. Meieri* dissertationem a *Jo. Frid. Mayeri* distinctam esse, falso sibi persuadens. Non quidem nominat auctorem diarii, certo tamen scio, hunc erroris *Fabricio* extitisse auctorem, quod & mihi aliquando idem fere obtigisset, nisi sedula evolutione ipsius dissertationis, errorem inuenissem.

c) Sect. II. hist. c. 3. p. 166.

d) l. c. p. 896.

D

§. XIV.

## §. XIV.

A. 1637. *Grosbainium* nostrum ex Academia in aulam abire iubebat supremi Numinis uoluntas. Hoc enim anno a piissimo heroe, *Vilhelmo IV. Duce Saxoniae* inclutissimo, Erfurto *Vinariam* ad munus concionatoris aulici & Adsefforis Consistorii uocatur. a) Quam grauem quamque strenuum uerbi diuini præconem se hic præfiterit, testes sunt conciones, b) quæ post fata b. uiri prodierunt, pietatem, ἀρεσβειαν & eruditionem spirantes.

- a) Sic perperam *Pfefferkornius* in Chron. Thuring. p. 300. *Grosbainium* Superintendentum *Vinariensium* ordini adnumerat. M. *David Heermann* in præfat. der erklähten Hand-Bibel p. 27. *Grosbainium* concionatorem aulicum *Kranichfeldæ* fuisse, omni documento destitutus, adserit.
- b) de his d. ult.

## §. XV.

Pietatis igitur doctrinæque, qua ipse pollebat admodum, laude factum est, ut breui auditorum, summorum, infimorum, amorem sibi conciliaret, nec dubitandum est, quin omnium saluti maximopere consultum fuisset, si diutius uerba E-

nau-

uangelii instillasset eorum animis, nisi fors longe aliter tulisset: quare uoluntas hominum sapientissimo diuini Numinis arbitrio postponenda uidebatur, cum præter expectationem d. V. Septembris anni subsequæ 1638. munere uitaque defungeretur uir optimus, in optimo annorum flore constitutus annos uix natus triginta septem. Quo collegarum & auditorum cum luctu eius discessus factus sit, testimonium perhibent ingenuum uerba collegæ, *M. Dan. Seileri*, Diaconi t. t. aulici, in Actis aulæ Ecclesiasticis adhuc conspicua, sequenti modo: *Eodem (die VII. Septembr.) honorifice terræ mandatus est Vir admodum Reuerendus, Clariss. & Excellentiss. Dn. Georg Grosshain, S. S. Theolog. Doctor, concionator Aulicus & Adfessor Consistorii Vinariensis, Fautor & Collega meus plurimum honorandus, ætatis suæ 37. anno, officii in hac Vinaria nondum anno peracti. O quam lubrica est uita hominis!*

### §. XVI.

Quale b. uiri fuerit ingenium, ex scriptis tanquam ex ungue leonem, facile conicere possumus: scilicet doctum, nec tamen tumidum, summum, nec tamen ferocius, pium, nec tamen hypocrisis studens, paucis, uir, in quo pietas & eruditio pa-

D a

ri

76 4385 PK

X2374429

ri passu ambulabat. Nullus dubito, quin eandem feram sententiam de *Groszbainio*, quam aliquando *Isidorus a)* de *Fulgentio*, præclaro illo ex sæculo sexto patre ecclesiastico tulit, *quod in confessione fidei clarus, in scripturis diuinis copiose eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac differendo subtilis.*


a) de Scriptor. eccles. c. 14.

§. XVII.


Coronidem nunc huic labori imponere possemus, nisi posthuma quædam, quæ post cineres auctoris ab heredibus publicata sunt, commemoranda restarent. Huc pertinet *Euangelicorum dictorum postilla, Evangelische Spruch-Postilla*, in 2. partibus præmissa dedicatione ad *Vilhelmum IV. Ducem*, in qua uidua & orphani gratiam Ducis, quam erga se uiduatos in suppeditando uictu annuo extare uoluerit, debitis uerbis prædicant. a) *Agmen tandem claudit, epitome hermeneutices ad S. S. interpretationem potissimum accommodata.*

a) Jenæ 1655. 4. consensu Facultat. Theol.

b) Jenæ 1657. 8. digna B. *Baiero* uisa, quæ commendetur in compendio theologiæ posit. p. 172.



m.c.



Farbkarte #13

B.I.G.

Q.N. 245.

DIATRIBA HISTORICO-ECCLESIASTICA

DE

VITA ET MERITIS  
D. GEORGII GROSSHAINII

DIVI PRINCIPIS

VVILHELMI IV.

DVCIS SAXONIÆ ETC.

A

CONCIONIBVS AVLICIS

CONSISTORII SVPREMI ADSESSORIS  
GRAVISSIMI

AVCTORE

M. CASPARE BINDERO

VINARIENSI

GYMNASII PATRII VVILHELMO-ERNESTINI  
SVBCONNECTORE.

J E N Æ

LITTERIS WERTHERIANIS

1724.

